



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 2. De Oceano Australi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

SERICI, vbi etiam ab Eoo distinguitur; sed fortè vt species à genere. Itaque pars Oceani Orientalis versus Boream dicta est *Oceanus Sericus*, pars Meridionalis nomen generis retinuit.

§. 2. De Oceano Australi.

GRÆCIS Νότιος nuncupatur & Μεσημβρινή θάλασσα, item & *Indicum Mare* à plerisque veterum; sed tum pars pro toto vsurpatur: nam diuiditur in mare *Indicum*, *Erythraeum*, & *Aethiopicum*.

INDICVM dicitur mare ad fauces vsque Sinus Persici, & nomen habet ab *Indis* populis, licèt & alias gentes Imperij Persici alluat.

ERYTHRÆVM mare, seu RVBRVM porrigitur à finibus *Carmanix*, ad *Frassum* vsque Promontorium, iuxta Ptolemæum, qui *Aethiopicum* non agnouit; meliùs ad *Aromata* pro. le *Cap de Guardafu*. Diuiditurque in tres partes apud Plinium lib. 6. cap. 24. in duas effusiones seu Sinus *Persicum*, & *Arabicum*, quem Eustathius *Aethiopicum* nominat, & mare vtrumque committens quod *Azanius Oceanus* dicitur, apud Scriptores vitæ Alexandri *Arabicus*. Quidam tamen existimant *Azanium Oceanum* complecti simul *Aethiopicum* & *Erythraeum*, quod non ausim improbare. Dicitur autem *Erythraeum* vel *Rubrum*: *Primò* à colore apparente qui à sole existit, vt vult Strabo; vel à reflexione montium combustorum vt credit Eustathius. *Secundò* à fonte miniato qui in hoc mare cadit; ita Ctesias Gnidius apud Strabonem. *Tertiò* ab *Erythra* homine Persa, cuius auspiciis in insulas huius maris Colonix deductæ sunt, sic Agatharcides. *Quartò* ab *Erythra* Persei filio qui in Ogyri insula regnavit, vt ait Plinius. *Quintò* ab arenis flauis; *Sextò* à pluuiis decurrentibus ex montibus quos adurit Sol; quarum opinionum meminere Plinius, & Eustathius.

ÆTHIOPICVS cuius meminere Dionysius, & Solinus, apud quem tamen perperam nominatur *Ægyptius* cap. 26. pars νοτία θάλασσα ab Eustathio nuncupatur.

§. 3. De Oceano Occidentali.

DICITVR aliter *Atlanticus* ab Atlante monte Mauritanix: